

quin ulla careat, ideo est purum *esse*, quin habeat admixtum aliquid de non *esse*. Nec proinde reductio finitorum ita facienda est in infinitum, ut in hoc non solum perfectiones et *esse*, verum etiam imperfectiones et *non esse* tamquam in unum acervum collecta fingantur. Quo quid ineptius et rudius dici possit, nescio.

Ad 2.<sup>am</sup> probat., *esse et non esse*, abstractissime inspectum, esse quidem utrumque maxime indeterminatum, sed opposito modo, primum nempe positive, alterum negative. Cui autem persuadebit Hegelius, nisi verba in alium sensum detorqueat, idem valere positivum et negativum, *esse et non esse*, aliquid et nihil? Hæc enim adeo manifeste regnant, ut voce quidem eorum identitatem affirmare aliquis possit, nemo autem sit, qui intus in animo queat non negare, ipsa videlicet rei evidentia coactus. Deinde noto, argumentationem Hegelii peccare contra leges syllogismi.

Ad 3.<sup>am</sup> probat. respondetur ea quidem, quæ proprie differunt, reduci ad aliquid commune, non tamen ea, quæ diversa sunt. *Differre* enim, ut jam in *Ontologia* notatum reliquimus, ea proprie dicuntur, quæ cum in aliquo conveniant, diversificantur tamen in alio. Ut autem duo diversa sint, non requiritur, ut in aliquo conveniant: quare diversa necesse non est, ut ad aliquid commune reducantur. Jam *esse et non esse* non differunt proprie, sed diversificantur, et quidem oppositione contradictoria, quæ maxima omnium est: quare medium aliquod, in quo conveniant, vel commune, sub quo contineantur, vel ad quod revocentur, habere nequeunt.

## DISPUTATIO SECUNDA.

### DE ORIGINE MUNDI.

50. Hæc una est ex philosophicis quæstionibus, quæ magis patefaciunt summam utilitatem, immo et necessitatem divinæ revelationis de iis etiam veritatibus, quæ rationis humanæ naturale lumen non excedunt. Mundum enim a Deo

creatum ex nihilo fuisse, veritas est certissima, eademque naturalibus argumentis demonstrabilis, quam nihilominus aut non nisi imperfectissime cognoverunt, aut admixtis turpissimis erroribus obscurarunt pene omnes antiquitatis Philosophi, lumine revelationis destituti; circa quam longe turpius errant recentiores illi scriptores, qui doctrinam jam inde a multis sæculis solidissime stabilitam respuentes, per invidia et devia se præcipites dare malunt, quam vocem Dei audire, et Ecclesiam in investigandis abstrusissimis quæstionibus ducem sequi. Ut porro mundi origo declaretur, tria tractanda sunt, causa, modus ac tempus, quo fuit productus. At causas, non omnes in hac disputatione inquiremus; nam formalem, quæ in ordine ac perfectione mundi consistit, superius exposuimus, finalem autem et exemplarem ad sequentem disputationem reservamus. Causam materialem nullam fuisse patebit, cum mundum per creationem ortum esse ostendetur. Itaque causam efficientem inquirere nunc oportet.

## CAPUT I.

### CAUSA MUNDI EFFICIENTIS.

Quamvis in priori disputatione probatum manet, mundum hunc esse ens ab alio, non tamen otiosa est efficientis causæ inquisitio. Non enim defuerunt, nec desunt nunc homines, qui fatentur quidem mundum factum esse, atque adeo dici posse ens ab alio, negant tamen factum esse ab aliqua causa ab ipso mundo distincta, vel certe causam aptam minime assignant. Negant causam ab ipso mundo distinctam patroni evolutionis; qui vero mundi molitionem casui adscriperunt, aut negarunt et ipsi causam efficientem, aut absurdam finxerunt.

### ARTICULUS I.

Utrum mundus originem habere potuerit per meram evolutionem materiæ.

51. Primus error circa mundi originem potest esse illorum, qui ut excludant omnem causam efficientem ab ipso mundo distinctam, confugiunt ad activam quamdam evolutionem

Error  
evolutionistaram  
expositur.

primigeniæ, nescio cuius substantiæ vel materiæ æternæ, infectæ atque indestructibilis, viribus pariter æternis, ingentibus, indestructibilibus ac plasticis informatæ, quæ fatali quadam necessitate determinetur ad sese jugiter explicandam transformandamque, donec successive per gradus suos germinet, ut ita dicam, e sinu suo regnum minerale, vegetale, animale et ipsum genus humanum per meram sui evolutionem. Et sic demum decernunt inter aniles fabulas amandandam esse creationem materiæ, Deumque ipsum et omnem causam efficientem a mundo distinctam penitus esse denegandam.

Hæc doctrina, quæ idealem Hegeliani Entis-Ideæ evolutionem fecit realem, materialismum cum ideali pantheismo copulando, placuit non paucis evolutionistis ac materialistis recentioribus, inter quos celebrius nacti sunt nomen E. Hæckel, L. Büchner (1), J. Moleschott (2), F. Strauss (3), L. Feuerbach (4), et alii apud cl. P. Pesch (5). Et hæc est evolutionis doctrina in sua maxima universalitate exposita. Restrictio illa est evolutio, quæ a multis ad explicandam viventium corporum originem applicatur; putant enim materiam a Deo primum productam esse, talique virtute instructam, ut sese pedetentim transformando ab imperfectioribus ad perfectiores viventium formas ac species deveniat. Nunc tamen non est universa hæc de evolutione disciplina expugnanda, sed illa solum, quæ mundi causam omnem expungit, ortumque illius materiæ cuidam infectæ, ad ulteriorem jugiter perfectionem nitenti, attribuit.

52. PROPOSITIO. Origo mundi nequit explicari per doctrinam evolutionis activæ, sed necessario recurrendum est ad aliquam causam efficientem a mundo ipso penitus distinctam.

et confutatur. **Prob. 1.<sup>o</sup>** Doctrina evolutionis activæ plura continet prorsus falsa et absurda. Ergo nequit explicare originem mundi:

(1) In libro *Kraft und Stoff*.

(2) In opere *Kreislauf des Lebens*.

(3) *Der alte und neue Glaube*.

(4) *Gründätze der Philosophie der Zukunft*.

(5) *Philos. natur*, n. 514. Vide etiam Lemaire apud Larousse in suo damnato *Dictionario* t. 3, ad vocem *Cause*, *Cause premiere*, pag. 618.

Et re quidem vera, supponit 1.<sup>o</sup> vim seu activam potentiam non posse esse extra materiam; 2.<sup>o</sup> materiam informari vi æternæ et infectæ; 3.<sup>o</sup> materiam hujusmodi esse et ipsam æternam atque infectam; 4.<sup>o</sup> ens infectum capax esse evolutionis. Atqui hæc totidem absurda commenta sunt. Nam est etiam vis et activa potiva potentia sine materia in spiritu, quemadmodum alibi demonstratur; et repugnat ens increatum evolutionem ullam subire, et rationem habere sive formæ informantis, sive materiæ actum cujuslibet formæ viriumve recipientis, est enim actus purissimus. Ergo etiam si aliunde admitti posset doctrina evolutionis, necessario semper ponenda foret causa aliqua materiæ viriumque, unde talis evolutio peragi posset.

**Prob. 2.<sup>o</sup>** Certum est in hoc mundo dari animas spirituales et immortales. Atqui impossibile est hujusmodi entia per evolutionem oriri, vel existentiam sortiri, nisi per creationem; creatio vero materiæ competere nequit, cum virtutem postulet infinitam. Ergo etiam evolutio materiæ in aliis non repugnaret, in productione saltem rationalium entium locum habere non potest, sed recurrendum necessario est ad aliquam causam extrâ mundum positam.

**Prob. 3.<sup>o</sup>** Falsum est, quidquid fit in mundo totum deberi simplici evolutioni materiæ. Nam evolutio proprie dicta tum solum obtinet, cum res aliqua jam virtualiter et in germine continetur in alia, unde mox decidit, ut suam propriam formam et naturam seorsim explicet. Atqui tum experientiæ tum rationi contradicit, varietatem specierum, quæ mundum corporeum ornat, hoc modo profluxisse, per ulteriorem materiæ evolutionem. Ergo mundi origo exponi nequit per evolutionem hujusmodi.

Et re quidem vera experientia nos constanti inductione docet corporum species fixas esse, nec minus perfectas in perfectiores converti, itemque certarum specierum individua non nisi ex certis ac definitis causis enasci. Id quod ratio manifeste confirmat ex principio causalitatis. Quemadmodum enim nihil fit sine causa, ita etiam quidquid fit causam proportionatam sibi vindicat. Causa vero proportionata effectui non est, nisi parem huic aut etiam superiorem, minime autem deteriore, virtutem ac perfectionem habeat.

Impossibile est ergo, ut ab imperfectionibus ad perfectiores species deveniantur per evolutionem materiæ.

Dices Experientia demonstrat ex pulvere nasci quædam insecta, ut cum v. g. post imbrem ranunculi cernuntur hæc illac saltantes, vel cum ex putrefacto corpore generantur vermes et alia animalia. Ergo inesse videtur materiæ insita quædam virtus sese alterius evolvendi.

Resp. neg. conseq. Certum enim videtur ex Physicorum experimentis hæc aliaque spontaneæ, quam vocant, generationis phænomena non materiæ viribus propriis adscribenda esse, sed ovis vel seminibus similium bestiarum vento vel ope causarum aliarum eo perlatis. Verum de his alibi plura.

## ARTICULUS II.

### Utrum mundus prodierit ex fortuito atomorum concursu.

53. Alter succedit error illorum, qui casu mundum ac fortuito prodidisse voluerunt. Casui autem bifariam adscribi potest molitio mundi, vel exclusa omni causa efficiente, et consequenter omni intelligentia et consilio talem operam dirigente; vel negato dumtaxat efficientis cause consilio et finis cujusvis intentione. In primo sensu assertus est casualis mundi ortus a veteribus materialistis; in altero a cæteris omnibus, qui talem posuere causam, quæ aut caret intelligentia, aut certe temere operata sit absque ullo præconcepto fine. Duo ergo investiganda proponuntur, primum an ulla detur efficiens causa, quæ mundum condiderit, deinde an causa ista sine ullo consilio finisve intentione egerit.

Et quod ad primum attinet, celebris est sententia Democriti, Leucippi et Epicuri, quam postea versibus meliore causa dignis exposuit et propugnavit Lucretius, mundum ex atomorum seu corpusculorum minutissimorum in vacuo fluitantium fortuita concursione coaluisse. Finxerunt videlicet tenuissimas quasdam particulas, indivisibiles, ingenitas, æternas, solidas, incorruptibiles, inani in spatio positas, omnis qualitatis expertes, soloque motu præditas ac diversa figura et magnitudine: quibus Epicurus etiam pondus adjecit.

Sententia  
Democriti,  
Leucippi et  
Epicuri.

Hujusmodi atomi triplici motu agitabantur in vacuo, altero ad perpendicularum, altero declinationis, tertio denique elisionis, qui ex mutuis collisionibus contingit; donec tandem aliquando post multas concursiones adhærescerent inque massas ingentes conglobarentur, et sic tota hæc varietas existeret mundanorum corporum, immo etiam ipsarum animalium hominum (1). Quod vero res diversarum specierum existant, id tribuendum unice est primum atomorum figuræ, deinde posituræ, ordini aut etiam motus diversitati, nam cæterum corpuscula ista ejusdem sunt omnia naturæ (2). Ita semel coagmentatis corporibus mundanis, novæ in dies contingunt generationes et corruptiones per meram aggregationem novarum atomorum, aut veterum segregationem diversamve dispositionem. En quomodo illi prisca Philosophi mundum casu exortum dixere, exclusa causa omni efficiendi, finali et etiam formali substantiali (3).

Huic errori jam a multis sæculis obsoleto non parum fa-  
quos recentiores  
Materialistæ  
imitati sunt.  
verunt recentiores materialistæ Maupertuis, Helvetius (4), Diderotus, Voltairius, Tolandus, Holbach, qui sub ficto nomine Mirabaudi infame opus edidit de *Systemate naturæ*, alique impii viri, qui elapso sæculo Ecclesiam Christi, si fieri posset, labefactandam sucepisse videntur (5). Eandem atomisticam et impiam amplexus est doctrinam Lemairius (6) productis in medium atomis æternis et infinitis, extensione

(1) Vide Plutarchum de *Placitis Philosoph.*, lib. 1, cap. 4 ubi hoc systema exponit.

(2) Hæc plenius declarata reperies inferius, ubi sermo est de essentiali corporum constitutione, cum atomismus veterum describitur.

(3) Vide Aristot. et S. Thomam in locis infra citandis, ubi de atomismo. Cfr. Benedict. Pereira (*de Communibus Princip.*, lib. 4, cap. 9), Tennemann, (*Storia*, tom. 1, paragr. 105, 106, 155), Card. Gonzal. (*Historia*, paragr. 42, 43).

(4) Hæc auctorem errorem suos retractasse scribit P. Antonius Valleschius ex S. Ord. Prædicatorum, *Dei fundamenti della religione*, lib. 1, cap. 2, n. VIII in nota.

(5) Vide apud P. Andream Spagni, *Dissertatio de Mundo*, proposit. 2.<sup>a</sup> sect. 1.

(6) Apud Petrum Larousse, *Grand Dictionnaire universel du XIX.<sup>e</sup> siècle*, tom. 3, ad vocem *Cause*, paragr. *Cause première*, pag. 618, Paris 1867.

vique ingenita immo et scientia præditis, quæ invicem agendo hunc mundum conflent, ac proinde exclusa quavis alia extranea causa, ipsæ habendæ sint tamquam prima causa omnium compositorum, omniumque actionum et phaenomenorum mundi.

Fuerunt etiam catholici scriptores, qui corpora, atque adeo mundum, ex atomis apto motu divinitus præditis coalescere docuerunt; quorum sententiam, cum de essentiali corporum constitutione agendum erit, exponemus et refutabimus. Verum quoniam casum, quem veteres atomistæ impique materialistæ invexerant, illi respuebant, nulla nunc nobis cum illis est movenda disputatio. At contra atheos et impios illos Philosophos sit

54. PROPOSITIO 1.<sup>a</sup> **Mundus prodire non potuit ex solis atomis casu in unum coeuntibus, sed causam postulat, eamque intelligentem et eum consilio operantem.**

**Probatur prima pars.** In primis adversa sententiâ gratuita omnino est; neque enim aliud pro se afferre potest argumentum, nisi quod absolute non repugnet, positus in motu atomis, eam combinationem et concursum accidere, unde hic præsens mundus existat. Id vero etiamsi daretur, quo tandem jure, quæso, concluditur exinde, ita revera mundum casu coaluisse? An vero a *posse* ad *esse* valet consequentiâ? Verum absit, ut tantum absurdum largiamur adversariis.

**Prob. 2.<sup>o</sup>** Hypothesis fortuiti atomorum concursus est absurda in iis, quæ supponit circa naturam illarum. Enimvero

α) Atomi finguntur infectæ. Ergo si ex atomis conficitur mundus, materia mundi est infecta. Atqui ut mox probabimus, nequit mundus ex materia infecta produci. Ergo...

β) Atomi dicuntur esse *infectæ*, ideoque a se. Atqui mutabilitas omnis repugnat enti a se et improducto. γ) Atomi ponuntur infinite et in vacuo fluitantes. Atqui id iterum repugnat. Si enim infinitæ fuissent, vacuum omne replevisent, neque ullus proinde dari motus potuisset. Quod si dicas atomos illas finito numero extitisse, quis numerum definitivè Atomi namque ponuntur infectæ, atque adeo invicem et a quolibet alio independentes. Nulla ergo ratio

Mundus  
prodire non  
potuit solis  
atomis ex casu  
coeuntibus;

sufficiens assignari potest, cur in determinato aliquo numero contineantur; quare tot omnino existent, quot sunt possibili. δ) Atomi eadem dicuntur gaudere natura. Ergo cur non habeant eandem quoque figuram, magnitudinem, ordinem, motum, posituram, cum a nullo alio pendeant, a quo variari hæc potuerint? Atqui in primis adversarii contrarium gratis asserunt. Deinde si eundem habuissent motum, figuram etc. neque concursus unquam contigisset, neque ulla resultasset rerum varietas, quam tamen mirificam cernimus in mundo (1).

ε) Adhuc iis omnibus datis, aliud supponitur absurdissimum, ex hujusmodi atomis pure materialibus procedere entia etiam viventia, quin et ipsam animam rationalem hominis, quam supponimus nunc, et suo loco demonstrabimus esse simplicem et spirituales. Lepidum enim atque omnino ingenio materialista dignum est, quod scribit Lemaire, atomorum ingenitam vim, ex entibus tum organicis tum inorganicis, atque adeo ex mundis, quos illæ componunt, abunde probari. Verum activitas virtutesque corporum, sive organicorum sive inorganicorum, ac totius mundi, probat quidem causam rerum omnium virtute atque activitate præditam esse; non tamen probat id, quod experientia pariter ac rationi repugnat, materie atomisque materialibus vitam et activitatem natura sua insitam et secum

(1) Pulehre Tullius hoc argumentum urgebat in Epicurum: *Censet (Epicurus) eadem illa individua et solida corpora ferri suo deorsum pondere ad lineam: hunc naturalem esse corporum motum. Deinde ibidem homo acutus, cum illud occurreret, si omnia deorsum e regione ferrentur, et, ut dixi, ad lineam, nunquam fore, ut atomis altera alteram posset attingere, itaque atque rem commentitiam: declinare dixit atomum perpauillum, quo nihil posset fieri minus, ita effici complexiones et copulationes et adhesiones atomorum inter se: ex quo efficeretur mundus, omnesque partes mundi, quæque in eo essent. Quæ cum res tota ficta sit pueriliter, tum ne efficit quidem, quod vult. Nam si ipsa declinatio ad libidinem fingitur (ait enim declinare atomum sine causa, quo nihil turpius Physico) et illum motum naturalem omnium ponderum, ut ipse constituit, e regione inferiorem locum potentium sine causa eripuit atomis. Nec tamen id, cujus causa hæc finxerat, adsecutus est: nam si omnes atomi declinabunt, nulle unquam coherescent. (Lib. 1 de Finibus, n. 19). Vide similia in libro de Fato.*

identificatam competere. Lemairius autem forte quia videbat suam assertionem probari non posse, ne conatur quidem probare, sed gratis asserit, quasi res foret per seipsam manifesta.

**Prob. 3.<sup>o</sup>** Ut ex fortuito atomorum concursu effloresceret hic mundus absque ullius alterius causæ influxu, deberent illæ habere ex seipsis:  $\alpha$ ) motum:  $\beta$ ) certam motus directionem:  $\gamma$ ) aptam collocationem in spatio, ut posset mutua complexio et agglomeratio contingere. Nam etiamsi atomi in motu ponantur, immo etiamsi viribus physicis et chemicis et attractione moleculari sint præditæ, nisi certam dispositionem et collocationem in spatio habeant, aptus congressus ad constituenda corpora dari nequit. Atqui nihil horum habent atomi ex seipsis.

Nam atomi, utpote materiales, per se sunt indifferentes tum  $\alpha$ ) ad hanc vel illam collocationem in spatio, tum  $\beta$ ) ad motum,  $\gamma$ ) tum denique ad quamvis motus directionem. Si quem enim locum in spatio ex sua propria natura vindicarent, ne possent quidem moveri: si motus foret ipsis essentialis, non possent concipi in quiete: si deum certam motus directionem postularent, aliam accipere nequirent. Si autem indifferentes sunt atomi ad hæc omnia, necessario agnoscenda est aliqua extranea causa, unde hæc ipsis insint.

Si vero contendas tria hæc atomos a natura sua sortiri, primum contradicis omnibus Physicis, si Materialistas excipias, inertiam materiæ uno ore profitentibus: deinde dicendum tibi est, quoniam eadem est atomorum natura, eundem quoque motum insitum illis esse, eandemque motus directionem, ut jam dari amplius concursio nequeat. Ex his ergo patet, metaphysice repugnare mundi fabricam ex meris atomis per inane volitantibus extitisse, quin aliqua agnoscat causa, quæ atomos ipsas produxisset, et apte ad congressum collocasset, motuque donasset.

**Dices.** Mundi materia seipsam ad motum determinare potuit. Ergo saltem ad hoc causa extrinseca non eguit. Et re quidem vera, videmus entia materialia bene multa, quæ statum quietis cum motu absque ullo externo impulsu commutant. Motus enim dimanat ex primitivis materiæ proprietatibus, quales sunt gravitas, extensio, impenetrabilitas, figura.—**Resp. dist. antec.** Nempe massa materiæ, si in diversis

ejusdem partibus variæ supponantur pressiones viresque attractivæ, potuit in motu constitui, *trans.*; eo enim in casu materia non *seipsam* determinasset ad motum, sed tantum diversæ portiones materiæ apte ad sese attrahendum constituta, motum genuissent, aliæ in alias extrinsecus operando. Potuit materia proprie *seipsam* ad motum determinare, *neg.*

Probationem etiam *dist.* Videmus se movere entia animata, *conc.*, inanimata, *subdist.*; impulsu ac determinatione extrinsecus accepta, *conc.*, ex propria activitate, iterum *dist.*; si motus ille tendat ad assecutionem status connaturalis, ut fit v. g. in elasticis corporibus, *trans.*, aliter, *neg.* Verum de his alibi distinctius et uberius.

Probandum nunc est, mundum non esse effectum fortuitum seu per accidens, opus nempe causæ temere ac præter intentionem agentis. Itaque

**Secunda pars prob. 1.<sup>o</sup>** Supposito quod mundus ex atomis coalerit, in tantum foret casu et fortuito factus, in quantum auctor ille atomorum, nihil cogitans temere collocasset illas in spatio, motumque impressisset, ex quo præter spem tota hæc ordinatissima et pulcherrima mundi machina effloresceret. Atqui hoc insanum est. Quæro enim, auctor ille primus atomorum utrum spiritus fuerit, an corpus. Non certe corpus; tum quia de illo ipso corpore inquirendum tunc esset, undenam et quomodo eformatum fuisset, donec perveniret ad aliquid non corporeum: tum etiam, quia cum ille sit etiam auctor animarum spiritualium, spiritus et ipse debet esse. Ergo habuit intelligentiam. Quæro iterum, num spiritus ille per seipsam, an per aliud ens atomos ordinaverit, et ad motum incitarit. Si per se, credibile non est ipsum aut ignorasse, quid ex talibus atomis gigni posset, aut temere ac ludentis instar illis motum et aptam directionem impressisse. Si per aliud, incredibile pariter est tanti operis molitionem causæ alteri commississe, quæ nesciret aut non curaret illam rite disponere, ac sapienter ad finem perducere. Aliter enim agere, summæ foret stultitiæ atque oscitantæ in ente, quod cum tantam parasset materiam, nihil deinceps cogitaret de opere apte ex illa fabricando. Itaque supponi omnino nequit casus in mundi molitione, si hic ex atomis coagmentatus fuit.

sed causam  
postulat  
cum consilio  
operantem.

**Prob. 2.<sup>o</sup>** Ordo præstantissimus, ex multorum elementorum concursu coalescens, ideoque complicatissimus, et simul constantissimus, nequit esse opus absque consilio et intentione factum. Atqui datur in mundo ordo admirabilis, ex innumeris entibus resultans et constantissimus. Ergo mundus hic non est casu factus et per accidens, sed causam habuit intelligentem et cum consilio operantem.

**Minor** superius declarata est.

**Major** patet a) inductione, et sensu communi omnium. Nemo est enim, qui videns artificium aliquid ex pluribus partibus ad aliquam formam vel operationem communem dispositis, non statim agnoscat laudetque ingenium artificis. Quis imaginem pictam diversis coloribus, quis horologium, aut statuum, vel domum videns, absque consilio, idea et intentione confectam esse dicat? Quis non amentem crederet eum, qui existimaret architectum et operarios Vaticani templi, temere agendo et casu tale opus confecisse? *Quis putet, si innumerabiles unius et viginti formæ litterarum, vel aureæ vel qualeslibet, aliquo conjiciantur, posse ex iis in terram excussis annales Emili, ut deinceps legi possint, effici* (1). Denique, ut alia omittam, quis sibi persuadeat hominem, musicæ artis ignarum, tam scite admovere manus posse instrumento, ut integrum aliquem concentum Mozarti vel Rossini personet? Atqui hæc et alia similia opera, quæ nemo non arti et consilio tribuit inter mortales, in immensum superantur præstantia et mirabili perfectione naturæ (2).

β) Una ex proprietatibus casus est raritas, quæ enim semper uno modo fiunt, nequeunt dici per accidens esse (3).

(1) Cicero, *de Natura deorum*, lib. 2, cap. 37.

(2) Ad rem Tullius: *Quis hunc hominem dixerit, qui cum tam certos cæli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa et apta viderit, neget in his ullam esse rationem, eaque casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur nullo consilio assequi possumus? An cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut spheram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa sint opera rationis; cum autem impetum cæli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, constantissima conservatione rerum omnium, dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam divinaque ratione? Cicero, *de Natur. deorum*, lib. 2.*

(3) S. Thom., lib. 2 *Contr. Gent.*, cap. 39.

Sane quod semper accidit certo aliquo modo, oportet ut habeat causam determinatam, cur ita et non aliter res sit. Causa vero determinata ad certo quodam modo constanter producendum effectum, vel libera est, vel necessaria. Si necessaria, jam eo ipso effectum illum naturaliter intendere dicenda est. Si vero libera, nequit intelligi, quomodo constanter in idem impellat, nisi ratione consilii, et certi finis quem in tali opere intendat. Ergo ubicumque adest constans ordo, ibi consilium et intelligentia ordinans agnoscenda est.

**Dices.** Ab elementis materiæ sæpe fiunt figuræ pulcherrimæ ac vere mirabiles: itemque ab animalibus ope instinctus multa exercentur ordinatissima, eaque constantissime, quin tamen ideo aut materiæ aut animalibus asserenda intelligentia sit. Ergo ordo quantumvis constans sit, non probat auctorem intelligentem, vel cum consilio operantem.—*Resp. dist.* Suppositis viribus et naturali directione et inclinationibus a prima causa inditis, *conc. secus, neg.* Tum neg. conseq. Allata ergo exempla contrarium nos docent: cum enim constet ordinem esse opus intelligentiæ proprium, concludere cogimur, sicut videmus ordinatas machinarum actiones et effecta sapientis artificis consilio disponi, ita necessario agnoscendam esse summam aliquam causam, quæ naturales omnes irrationabilium entium effectus et mirabilia opera intendat, atque ordinet, et in numero, pondere ac mensura ad fines proprios sapientissime dirigat.

**Probatur propositio 3.<sup>o</sup>** a priori. Causa saltem prima, quæ atomis illis et existentiam et motum indidit, est necessario ens aliquid a se existens, quemadmodum amplius declarabitur in sequenti propositione. Atqui ens a se nequit nisi summo consilio summaque sapientia agere. Ergo impossibile est mundum ex fortuito atomorum concursu prodidisse.

55. PROPOSITIO 2.<sup>a</sup> **Mundus hic effectus est tamquam a prima causa ab aliquo ente necessario a se existente: ac proinde existentia mundi existentiam Dei invicte demonstrat.**

**Probatur prima pars.** Etenim causa efficiens, quæ mundum effecit, vel eguit et ipsa ad hoc ut existeret, causalitate atque efficientia causæ alterius, vel non. Si non eguit,

Causa prima mundi est ens necessarium.

habemus intentum; nam ens a se est ens necessarium, id est, ens necessario ex vi suæ essentiæ existens, ut in *Ontologia* declaratum manet (1). Si causa hujus mundi producta est ab alia causa, de illa alia causa iterum quæram, utrum a se exitat, an vero ab alia producta sit: et si primum dicatur, manet probata propositio; sin alterum, rursus idem quærendum est, donec tandem ad ens aliquod infectum et a se veniamus, unde tamquam a prima causa pendeat iste mundus. Dari namque nequit processus in infinitum in causis, neque etiamsi daretur, vitari posset necessitas causæ alicujus primæ, a qua reliquæ omnes dependerent, ut constat ex dictis in *Ontologia* (2), et fusiùs declarandum erit, Deo favente, in *naturali Theologia*.

Secunda pars sequitur ex prima. Nam nomine Dei intelligitur ens a se ac necessarium in existendo. Atqui mundus hic esse non potest sine causa aliqua prima, quæ sit ens a se ac necessario existens. Ergo...

Atque hæc nunc delibasse tantum sufficiat. Nam in *Theologia naturali* fuse et accuratius pertractanda sunt contra omnes, sive apertos sive larvatos, atheos.

Quæri hic posset, utrum auctor mundi sit unus dumtaxat, an vero plures. Pervetus enim est dogma Persarum, qui duo statuebant rerum principia, alterum bonarum, malorum alterum: quam postea doctrinam sectati sunt Manichæi, et Priscillianistæ, et Albigenes, aliique. Verum quia de hac re in *Theologia naturali* sermo erit, ubi unicitas Dei stabilienda est, nunc ex ibi dicendis liceat unum supponere Deum, eumque summe bonum, sapientem, potentem, cæterisque omnibus possibilibus præditum perfectionibus. Vide interea, quæ in *Ontologia* scripsimus ad probandum, quod malum nequeat esse ens a se (3).

#### SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

56. **Objic. 1.<sup>o</sup>** Non raro videmus in natura opera mirabilia, v. g. opera crystallizationis, quæ exquisitissima arte et

(1) Vide *Ontologia*, n. 186, 187.

(2) Vide num. 385, 8), pag. 1099.

(3) Num. 167, pag. 485.

intelligentia facta esse videntur, cum tamen ex mera virium et causarum naturalium combinatione prodierint. Nota quoque omnibus est historia, quam narrat Plutarchus (1), pictoris illius, qui postquam iterum et sæpius frustra tentasset spumam in ore equi anhelantis exprimere, iratus tandem colores projecit in tabulam, et sic spuma præter spem apprime depicta apparuit.

**Resp. 1.<sup>o</sup>** *Nego* paritatem. Quid enim commune habent allata hæc exempla cum fabrica mundana, tam varia, complicata, constantissime ordinata et perfecta? 2.<sup>o</sup> Nec opera illa mirabilia naturæ existere potuissent sine aliquo agente, qui causas illas in unum conferret, viresque apte componeret, nec spuma sine pictore, qui colores projiceret, expressa unquam fuisset in tabula. 3.<sup>o</sup> In illis aliisque exemplis, quæ vulgo casui tribui solent, non datur revera casus absolute loquendo, sed tantum relative. Quia nimirum licet hujusmodi effectus non intendatur a causis particularibus et proximis earum, ideoque respectu harum dici possint per accidens fieri, semper tamen cognoscuntur, et intenduntur a causa universali et suprema, quæ auctor est totius naturæ et cum causis aliis omnibus operatur.

**Objic. 2.<sup>o</sup>** Ab entibus irrationalibus fiunt etiam alia opera, quæ speciem habent operum non vulgaris artificii, si nihilominus absque ullo consilio fiunt, v. g. telæ ab araneis, alvearia ab apibus etc. Ergo idem dici potest de ordine mundano.

**Resp.** eodem modo ac in præcedenti, *distinguendo* sic. Et hæc opera fiunt absque consilio, quod sit in ipsis causis proximis, *conc.*; in causa universali, qui tales instinctus ac dispositiones illis indidit, *neg.*

**Objic. 3.<sup>o</sup>** Ex ordine et utilitate rerum nequit colligi res illas factas fuisse cum intentione talis ordinis et utilitatis, si ordo hujusmodi et utilitas talium rerum sit fructus industriæ humanæ. Atqui ordo in partibus mundi et singularum utilitas potest esse merus fructus humanæ industriæ, consequens ipsam illarum rerum existentiam. Ita in montibus sæpe inveniuntur scopuli ita dispositi, ut iis homines utantur

(1) Plutach. *de Fortuna*.

tamquam gradibus ad ascendendum, et nihilominus non fuerunt facti illi scopuli præcise *propter* hunc finem. Similiter absunt pluribus in locis cavernæ, quo solent viatores sese recipere in tempestatibus, quin tamen dici possit illas ex intentione naturæ ad hunc usum esse destinatas (1).

*Resp. conc. Major, neg. Minor.*

Et ad exempla, *nego* paritatem et consequentiam. Nam ex eo quod industria humana quasdam res existentes in certos usus ac fines adhibeat, non sequitur ordinem universi, nemine cogitante et intendente, prodiisse, aut ad naturales suos fines directos minime fuisse ex ipsius conditoris instituto. Videmus enim antecederet et independenter ab hominis industria ordinem ac dispositiones habitudinesque constantes esse in entibus naturæ ad actus et effectus sibi consentaneos. Ea vero, quæ solum per humanam industriam convertuntur in aliquos vitæ usus, patet intuitu, non eo fine a natura facta fuisse, quia secus multo aptius conformata et ordinata fuissent. Næ, si cavernæ ad habitationem destinata ex naturæ instituto fuissent non tam incommoda forent ineptaque ad id officii, nec cederent in hoc ipsis domibus, quas homines præstanti arte maturoque consilio fabricant. Sic natura pedes in animalibus aptissime elaborat ad ambulandum, alas ad volandum, oculos ad videndum, et in stirpibus radices, folia, flores ac reliquas partes, ad suos quasque actus et fines accommodatissima.

*Objic. 4.<sup>o</sup>* «Ordinata rerum dispositio, quæ nunc habetur, potuit erumpere fortuito atomorum motu inter innumerabiles dispositiones non ordinatas. Nam quamvis probabilitas, ut quid ordinatum fortuito existat, sit tenuissima propter infinitum fortasse numerum inordinatorum, qui sibi opponitur, non tamen dici potest nulla. Quæcumque autem ordinata dispositio semel eruperit, potest per seipsa durare, quemadmodum quæcumque inordinata debet per seipsa deficere...» Ita Maupertuis (2) apud Andream Spagnium (3).

(1) Apud P. Andr. Spagni. *Dissert. de Mundo*, prop. 2; sect. 6, n. 143.

(2) Maupert., *Cosmol. avant. propos.* pag. 6.

(3) Spagni, *Opere* cit. prop. 2, sect. 6, n. 144.

*Resp. neg.*, assertum et probation. Sint enim duæ atomi *A. B.* in spatio vacuo. Quoniam in spatio nulli sunt fines, si supponamus *A* stare, *B* moveri, certum est illas atomos posse suscipere positiones diversas infinitas, immo infinities infinitas, pro veritate directionum, quas *B* in suo motu accipiat; moveri quippe valet secundum quemlibet e radiis, qui a punto, ubi stat *A*, duci quaquaversus possunt, vel secundum infinitos circulos, qui circum *A* describantur. Contra possibilitatem ergo cujuslibet determinate positionis in illis duabus atomis stat possibilitas infinitarum positionum diversarum, ideoque contra probabilitatem certæ positionis militat infinita improbabilitas ejusdem. Quæ improbabilitas augetur, si utraque atomus moveatur, multoque magis si loco duarum supponantur infinitæ atomi per spatium volitantes (1).

*Dices.* «Sumantur duo characteres ex, g. *A et R*, qui agitentur in urnula, sic foramine exiguo prædita, ut inde nequeant emitti, nisi alter post alterum, ad syllabam conflandam aliquam. Profecto cum nonnisi harum alterutra conflare possit nimirum vel *AR*, vel *RA*, utra earum potius proditura sit uno jactu, æque probabile utrinque est. At si jactus decies et millies iteraretur, totidem gradus probabilitatis exurgerent pro syllaba *AR* saltem semel habenda. Sumantur deinceps quatuor litteræ, quibus primum Aeneidis verbum efficitur, nimirum *A, R, M, A*. Hæ suscipere possunt viginti quatuor dispositiones diversas. Unde quod uno jactu illa potius emergat, qua conlectur vox *ARMA*, id vix uno probabilitatis gradu fruatur, contra viginti tres gradus oppositos. Ad post viginti tres jactus probabilitas æquatur utrinque, et magna fiet pro istiusmodi dispositura semel habenda, si viginti tres jactus decies et millies repetantur. Gradatim instituat eadem ratiocinatio pro cæteris Aeneidis vocabulis et versibus, atque ita tandem licebit concludere: si jactus aeterno intervallo infinitis vicibus iterentur, infinita efflorescet probabilitas, seu quod idem est certitudo pro ea litterarum dispositione, quæ Aeneidem præbeat. Quod autem positum est in hac una re, transferri in permultas potest,

(1) Cfr. Tong. *Theol. nat.* n. 40, 41.



atque adeo in mundum ipsum quoad fortuitos atomorum concursus» (1). Et sic ex calculo, quem dicunt, probabilitatum conficitur mundum casui attribui posse.

Resp. *transmisso* litterarum calculo, *nego* assumptum, nempe nego illud exemplum transferri in mundi fabricam posse in hypotesi adversariorum. Si enim omnis excluditur intelligentia et intentio determinati finis, cur litteræ illæ conjiciuntur in urnam? et cur urna unum dumtaxat habet foramen per quod ordine prodeant illæ? Si omnia casu fiant, nec urna nec certus foraminum numerus supponendus est, sed elementa illa scripturæ in infinito spatio erunt nulli alligata loco, nullam habentia determinatam motus directionem. Quo fiet, quemadmodum in solutione precedentis difficultatis dicebamus, ut quoniam duo primi characteres A et R, infinitas posituras in spatio accipere possunt, infinita probabilitas habeatur in singulis jactibus, quod non assumptam aptam directionem ad efformandam syllabam AR. Si adjungatur tertium elementum M et quartum A, augebitur infinitas probabilitas, quod non efformabitur vox ARMA. Quid fiet deinceps cum reliquis characteribus typographicis necessariis ad componendam Aeneidem? Si ergo excludatur omnis intelligentia in projiciendis hujusmodi litteris, nedum adsit infinita probabilitas seu certitudo pro ea dispositione illarum, quæ Aeneidem præbeat, aderit probabilitas infinita seu certitudo de opposito (2).

(1) Apud P. Liberatore, *Instit. Philos., Cosmol.*, cap. 1, art. 4, n. 38, *object. 11.*

(2) Cfr. Liberat. loc. cit.; Tong, *Theol. nat.* n. 42; Cuevas, *Philos. rudim., Theodicea*, n. 19.

Juvat hanc responsum confirmare testimonio Laplace et Arago, qui ex eo quod in nostro systemate solari omnes planetæ ac horum satellites per orbitas suas moveantur, secundum eandem directionem circa solem, nempe a dextra sinistrorsum, concludunt, hujusmodi phenomenon casu contingere non potuisse. Cum enim corpora, tunc temporis cognita, quæ sic circa solem moventur tria supra quadraginta numerarentur, ex calculo probabilitatum deduxerunt, inesse unam dumtaxat probabilitatem contra 4,000 myriades millionum (quatre mille milliards), quod talis uniformitas motus dabitur, si casu et absque ullo consilio motus imprimatur.

Vide Laplace apud Faye (*Sur l'origine du Monde*, chap. X, pag. 13, 132. Paris, 1884), et Arago (*Annuaire pour l'an 1844*,

Objic. 5.<sup>o</sup> Saltem negari nequit unam ex possibilibus combinationibus atomorum temere projectarum esse eam, quæ hunc mundum præberet. Ergo nequit excludi tamquam penitus absurda hypothesis fortuiti atomorum concursus, ad constituendum mundum.

Resp. 1.<sup>o</sup> Ergo saltem improbabilis prorsus est hypotesis casus. Resp. 2.<sup>o</sup> *dist.* ant. Una ex possibilibus combinationibus, quas facerent atomi temere projectæ, est hæc, suppositis pluribus absurdis, *trans.*; nullo absurdo supposito, *neg.* Et *neg.* conseq. Nam ut admitti possit temeraria et sine consilio facta projectio atomorum, debet supponi aut nullam esse causam, quæ atomis existentiam dederit, spatium assignarit, motumque cum apta directione impresserit; aut causam, quæ omnia hæc fecerit, cæcam fuisse et intelligentiæ expertem; aut si habuit intelligentiam, adeo fuisse oscitantem et incuriam, ut in immenso opere moliendo, cum posset optimum adhibere consilium, nullum consilium adhibuerit. Hæc autem et alia, quæ omitto, adeo sunt absona, ut supponi nequeant ab homine, qui sensum communem non penitus abjecerit. Itaque licet in ordine agentium particularium detur quandoque casus, cum nimirum aliquid evenit, quod ipsa particularia et proxima agentia non intenderant, neque præviderant, de auctore vero hujus universalis ordinis et compositionis machinæ mundanæ idem suspicari non minus absurdum, quam impium est (1).

Objic. 6.<sup>o</sup> Ut mundus efformaretur, nihil aliud postulasse dicitur Cartesius, nisi materiam et motum (2) Et eadem

pag. 347) apud Pianciani (*Cosmogonia naturalis comparata col Genesi*, pag. 1, paragr. III, pag. 80 in nota. Roma, 1862).

Meminerit autem eo tempore, cum Laplace et Arago hæc scriberent, quatuor tantum asteroides cognosci inter Martem ac Jovem; nunc autem inter orbitas horum duorum planetarum detecte sunt aliae asteroides vel parvi planetæ usque ad 234, omnes eodem motu agitati a dextro sinistrorsum. Vide Faye (*Op. cit.* chap. X, pag. 133). Quo fit ut adhuc in immensum decrescat probabilitas hujusmodi uniformitatis in motu tot corporum, si is a casu procedat.

(1) Cfr. Spagnî, *Dissert. de Mundo*, prop. 2, sect. VI, n. 148; Cuevas, loc. cit. n. 18.

(2) Vide Cartesium apud Spagnî, loc. cit. n. 149.

forte fuit sententia Mallebranchii, Leibnitzii aliorumque (1).

**Resp. dist.** assertum. Suppositis supponendis, et si sermo sit de sola natura bruta et corporea, *conc.*; si sermo sit etiam de viventibus, et non supposita suprema directione Dei materiam creantis, motumque illi tribuentis et leges motus, *neg.*

Illi enim auctores non excluderunt, quin potius postularent, actionem Dei omnia prævidentis et ordinantis ad scopum fabricandæ molis (2). Quod si id non requisivissent, et si opinionem suam extensam voluissent ad corpora etiam viventia, deserendi prorsus essent. Cæterum iterum moneo hic a nobis non disputari, num, suppositis supponendis, sola materia et motus absque alio interno principio sufficient ad constitutionem corporum saltem inorganicorum explicandam. Nos arbitramur id non sufficere, sed hac de re tractationem in alium locum amandamus.

**Objic. 7.<sup>o</sup>** Ignoramus quousque se protendant vires naturæ, Ergo temerarium est Philosopho recurrere ad causam primam, eamque intelligentem, ut mundanæ fabricæ rationem reddamus.

**Resp. 1.<sup>o</sup>** Si ignoramus vires naturæ, cur adversarii athei recurrunt ad casum, excludendo nempe causam, quæ forte necessaria est, si videlicet vires naturæ solæ nequeant se protendere ad tale opus construendum?

**Resp. 2.<sup>o</sup> dist.** assert. Ignoramus quid possint vires naturæ, inditæ a Deo materiæ, et sub certis legibus ac directione supræ intelligentiæ agentes, *trans.*: in hypothesi casus, exclusa nimirum causa intelligenti, quæ et vires et reliqua necessaria communicat materiæ, *neg.*

**Objic. 8.<sup>o</sup>** Cum Lemairio. Causa mundi prima vel est 1.<sup>o</sup> principium aliquod nomine Dei significatum, videlicet æternum, immortale, simplex et indivisibile, omnipotens, quod omnia solus creaverit ex nihilo, vel 2.<sup>o</sup> idem Deus simul cum materia pariter æterna, ex qua res omnes efficiat, vel 3.<sup>o</sup> denique, atomorum æternarum et indivisibilium

(1) Apud Spagni, *ibid.*

(2) Cfr. Spagni. loc. cit. n. 150 seqq.

quædam infinita multitudo, que cum extensione, vi et innata scientia vel cognitione præditæ sint, omnia mundana entia conflent, sive organica sive inorganica. Atqui duo priora repugnant. Ergo mundus ex atomorum intelligentium concursu existere dicendum est, quin necesse sit ullam aliam fingere causam efficientem ab ipsis distinctam.

Minor probatur quoad primum membrum. α) Deus exhibet conceptum confusum et negativum, qui nullo argumento directo probari potest, nec omnino cognosci unquam potuit ab iis ipsis, qui talem mundi causam obtrudunt. β) Repugnat purum spiritum causam esse mundi extensi et corporei. Atqui Deus dicitur esse spiritus. Ergo absurdum est Deum causam esse mundi hujus. Probatur Major. Nam sicut certissimum est istud axioma: *Non datur effectus absque causa*, ita non minus certa atque explorata sunt duo hæc alia: *Omnis effectus continetur in sua causa*, et *Omne coæsequens vel principium ejusdem est naturæ, ac suum principium*. Tria hæc principia ita sunt connexa et indubitata, ut nemo possit eorum aliquod negare, quin leges ipsius rationis violet, atque adeo jus ratiocinandi amittat. Atqui mundus materialis, extensus et multiplex profecto diversæ naturæ est a principio spiritali, simplicissimo et uno, qualis supponitur Deus, nec potest in eo contineri, nec ullam habet cum eo relationem. Ergo... γ) Præterea causa simplex una et immaterialis est aliquid in seipso repugnans. Sane causa ut vere sit causa, non solum debet existere, sed etiam agere; sed agere seu actio importat relationem, relatio vero duos terminos vel extrema requirit. Atqui si supponitur Deus unus esse simplex et immaterialis, non datur terminus, circa quem agat. Ergo Deus unus simplex et immaterialis agere nequit nec proinde esse causa. δ) Si Deus, principium simplex, posset esse causa mundi, produceret illum vel per emanationem, vel per creationem. A qui non per creationem; quia cum omnis actio essentialiter postulet duos terminos, agens nempe et materia vel objectum, circa quod agens operetur, creatio, utpote quæ hujusmodi materiam vel objectum essentialiter excludit, esset actio prorsus impossibilis et chimerica. Neque etiam per emanationem; nam emanatio repugnat in ente simplici atque indivisibili.

En argumentum recentissimi materialismi atomistici, quod refert Petrus Larousse in suo Dictionario, quod sentinam potius omnium errorum atque impietatum dixeris. Cæterum hæc non ideo adducta sunt, quia quidpiam valeant, sed ut norint omnes indolem ac modum ratiocinandi nuperorum materialistarum.

Resp. *conc.* Major., et eligo primum membrum. Tum *neg.* Minor. quoad primum membrum.

Ad probat. *α)* nego, quod conceptus Dei sit confusus; quamvis enim non cognoscamus Deum, sicuti est in seipso nec conceptu, qui dicitur proprio ex propriis possimus illum mente repræsentare, nihilominus talem comparamus entis a se ac necessariæ notitiam, ut probe illud ab omnibus aliis rebus secernamus. Nego deinde conceptum, quem de Deo efformamus, esse pure negativum. Quamvis enim una ex viis cognoscendi Deum in hac vita sit per negationes, excludendo nempe limites et imperfectiones, quæ cernuntur in rebus creatis, quemadmodum suo loco dicendum erit; verum aliud est, quod nos ope negationum ad cogitationem Dei veniamus, et aliud quod non cognoscamus illum nisi conceptu negativo. Nego pariter, quod nullo directo argumento probari queat notitia et existentia Dei. Denique si cum negat adversarius a nobis cognosci Deum, loqueretur de cognitione intuitiva rem immediate, ac prout est in se, repræsentante, verum diceret; si autem loquitur de quavis cognitione etiam abstractiva et discursiva, falsissimum est id, quod tam asseveranter effutit.

Ad *β)* *neg.* Major., ad cuius probationem dico primo effatum illud, secundum quod *omnis effectus in causa, contineri* dicitur, veritate gaudere etiamsi intelligatur de sola continentia virtuali et eminentiali; nec vero contrarium probat, nec probat unquam Lemairius. Effatum autem alterum enuntians *principiatum omne ejusdem esse naturæ, ac suum principiatum*, effatum non esse, sed absurdissimum pronuntiatum, quod gratis postulat sibi concedi ad eripiendam spiritui virtutem effectricem materiæ.

Ad *γ)* *negatur* pariter assertum, cuius probatione nihil infelicius fingi humano ingenio potest. Actio, inquis, importat relationem; relatio autem pæsupponit duo extrema,

agens et passum. At quandonam actio importat relationem? antequam sit, an vero cum jam est? Credo te dicturum esse secundum. Verum si actio non importat relationem, nisi quando jam est, nihil conficis tuo argumento; nam cum repugnet actio sine termino, statim ac detur actio in rerum natura, præsto sunt jam duo extrema, quæ invicem referantur. Quare ex eo quod actio relationem importet, relatio autem duo extrema vel terminos requirat, perperam concludis ens, quod sit simplex et unicum, agere non posse. Si autem vis actionem, antequam detur, requirere agens et passum prævie existentia, inter quæ adsit relatio; non vides assertionem tuam esse meram principii petitionem?

Unde ruit etiam argumentum *δ)*, quo Lemairius conatur probare repugnantiam creationis. Verum quia de hac re fuse mox agendum est, ista nunc innuisse sufficiat. Difficultates autem, quæ peti possent ex malis et monstris atque imperfectionibus hujus mundi, partim solutæ sunt, cum sermo esset de ordine mundano, partim enodabuntur, cum de divina providentia disputandum erit.

## CAPUT II.

### QUOMODO MUNDUS A DEO

#### EFFECTUS SIT.

57. Modus effectiois mundi respicere potest, vel ipsam causam efficientem, vel præsidia externa et juvenem causæ alicujus materialis, quæ actionem efficientis receperit ac sustinuerit. Sub hoc altero respectu quærere, quomodo Deus mundum condiderit, perinde est ac quærere, num illum ex præjacente aliqua materia effecerit, an creaverit a nihilo. Sub primo respectu duo quæri possent, primum utrum Deus ex necessitate naturæ, an vero libere mundum condiderit: quam disputationem melius ad Theologiam naturalem rejiciendam esse ducimus, ubi probandum erit id, quod nunc tamquam certissimum et Fide et ratione supponimus, Deum in omnibus operationibus ad extra nulla adigi necessitate, sed summe liberum atque independentem esse.